



## OLEA.

## OLEUM CARYOPHYLLORUM.

**R** Caryophyllorum contusorum, libram unam.  
Aquæ ferventis, libras decem.  
Mitte in vas idoneum coopertum. Digere in hypocausto  
saltē per quindecim dies. Distilla igne nudo ad medietatē  
ex vesicā suo refrigeratorio & receptaculo instructā. Re-  
frigeratis vasis, oleum ab aquâ separā.

*Simili modo elicies*

Olea Cinnamomi,	Seminum Anisi,
Macis,	Anethi,
Nucis Moſchatæ,	Carvi,
Cubebarum,	Cumini,
Amomi,	Fœniculi,
Cardamomi,	Baccarum Juniperi,
Piperis,	Lauri,
Lignorum Rhodii,	Corticum Arantiorum,
Cedri,	Citreorum.
Sassafras,	Arantiorum & Citreorum nascentium & immaturorum.

& similium. Item

Olea Absinthii,	Majoranæ,
Menthæ,	Menthæ,
Rorismarini,	Rorismarini,
Rutæ,	Rutæ,
Sabinæ,	Sabinæ,
Salviæ,	Salviæ,
Thymi,	Thymi,
Florum Lavandulæ,	Florum Lavandulæ,
Arantiorum,	Arantiorum,

Observandum primò plus minus alia aliis esse digerenda,  
& majori vel minori aquæ copiâ iis vel illis opus esse.

D d

210. C O D E X M E D I C A M E N T A R I U S

2º. Plantas aromaticas siccias esse adhibendas, & biduò tan-tum macerandas.

3º. Semina, baccas & ligna ante digestionem contundenda esse, vel scobinâ deradenda, longiorique tempore maceranda.

4º. Cortices esse deradendos, sed nullâ maceratione indi-gere.

O L E U M G U A Y A C I ,  
Buxi.

Vide *SPIRITUS ET OLEUM GUAYACI* pag. 206.

O L E U M T E R E B I N T H I N Æ ,

Masticæ,

Olibani ,

Tacamahacæ ,

Gummi Elemi ,

Ammoniaci ,

Labdani ,

Sandaracæ ,

Myrræ recentis ,

Picis ,

Benzoini ,

Galbani .

Vide *SPIRITUS ET OLEUM TEREBINTHINÆ* pag. 138.

O L E U M S U C C I N I ,

Gagatis.

Vide *SPIRITUS , SAL VOLATILE ET OLEUM SUCCINI*  
pag. 205.

O L E U M C E R Æ .

R. Ceræ flavæ , uncias sex.  
Arenæ siccæ cibratæ , uncias duodecim.

Liquefiat Cera in patellâ terreâ : fluenti adde arenam. Re-move ab igne, & continuò agita, donec refrigescat ; ex hâc materiâ nondum induratâ formentur globuli, qui ex retortâ

vitreâ loricatâ igne tertii gradus distillentur per horas decem. Prodibit oleum fluidum à phlegmate separandum; tum aucto igne, oleum butyraceum, quod ut fluidum fiat, arenæ aut calci vivæ admixtum iterum atque iterum distillabis.

### OLEUM TARTARI.

Vide *SPiritus et Oleum Tartari* pag. 202.

### OLEUM DE LATERIBUS, SEU OLEUM PHILOSOPHORUM.

**R** Lateres confractos, quot volueris. Candefiant & illicò immersantur oleo claro, statim vas cooperiendo, ne accendatur. Sinito, donec refrixerint. Exemptos lateres terito. Indito retortæ loricatæ. Addito receptaculum capax, commissurisque obseratis, elicto oleum igne reverberii. Prolectum oleum rectifica & terva.

### OLEUM MYRRHÆ PER DELIQUIUM.

**R** Ova cocta ad duritiem & per medium secta. Vitellis exemptis cava impleto myrrhâ tenuissimè tritâ. Ämulas albuminum medietates coadunatas filo ligabis, & craticulæ ligneæ super paropsidem impones. Sinantur in cellâ. Ex myrrhâ liquecente humor stillabit.

### OLEUM CAMPHORÆ.

**R** Camphoræ tritæ, uncias tres. Mitte in matratum. Affunde Spiritus Nitri, uncias sex. Vale ritè obturato digere ad integrum dissolutionem. Li- quorem oleosum supernatantem digere, & habebis oleum Camphoræ vulgo dictum.

Dd ij